



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tribunal Poenitentiæ Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut
Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

Sect. III. De licentia revelandi Sigillum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

terrogando de specie vel numero peccatorum mortalium, posse in posteriore, licentia non petitâ, de iis interrogare; adeoque, si aliud non obstat, etiam debere. Lug. Disp. 22. n. 77. vide sup. n. 181.

196. Obligatio Sigilli durat non tantum usque ad mortem pœnitentis, sed etiam post ejus mortem. Coninch. cit. Disp. 9. n. 20. Laym. cit. cap. 14. n. 1. Tan. cit. q. 9. n. 120. Et alii unanimiter contra quosdam Canonistas. Ratio, quia Sigillum Confessioni Sacramentali annexum est & in honorem Sacramenti, & in favorem pœnitentis; atqui honor & reverentia debetur Sacramento etiam post mortem pœnitentis; & sicut vivum, ita & mortuum infamare de peccatis est injuriosum. Et verò si pœnitentes scirent, post suam mortem posse sua peccata à Confessariis licetè revelari, horrenerent ea in vita confiteri, jämque redderetur viventibus Sacramentum Pœnitentiae odiosum. Sigillum ergo, quod ad ejusmodi malum evitandum est institutum, ita debet obligare, ut etiam post mortem pœnitentis non possint ejus peccata revelari sine ejusdem licentia; de qua jam.

SECTIO III.

De Licentia revelandi Sigillum.

Dicemus hic 1. Quis & Quo modo eam dare possit. & 2. De obligatione ejus, cui cum licentia pœnitentis revelatum est hujus peccatum.

§. I.

Quis? & Quo modo dare possit licentiam revelandi Sigillum?

197. Licentiam revelandi Sigillum ne-

mo quidem alias sup. n. 189. potest tamen dare ipse pœnitens. sup. n. 187. Non sufficit autem hinc licentia præsumpta tantum, aut tacita, vel virtualiter, aut interpretative data; qualis est, quando rationabiliter cogitari potest, revelationem hinc & nunc ob magnum pœnitentis comodum non fore ei ingratam. Ratio, quia hinc Sacramentum fieret fidelibus valde odiosum & noxiū; cùm facile fieri posset, ut Confessarii sibi talem licentiam fingerent invitissimis pœnitentibus. Reginald. lib. 3. n. 60. Lug. Disp. 23. n. 131.

Debet ergo data licentia I. esse expressa & formalis, juxta communem omnium apud Fagund. l. c. n. 14. Coninch. l. c. n. 23. v. Nota secundo. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 14. n. 14. Et alios, solo Altisiodorensi excepto. Talis autem centetur, sive verbis vive ipso facto fiat; ut: si pœnitens de peccatis suis confessis recipiat loqui cum Confessario extra confitacionem. Tan. tom. 4. Disp. 6. q. 9. n. 132. Dicast. l. c. n. 78. vel si moribundus velit per Confessarium moneri heredes de re aliqua aliena suo Domino restituenda. Fag. l. c. n. 15. cum enim monitio ista præbeat indicium sui peccati, & tamen velit eam fieri per Confessarium, hoc ipso dat actualiter & expressè illi licentiam, id eo modo revelandi; vel si aliquis suo Confessario confiteatur, se illi ob talem vel talem actionem fuisse iratum, maledixisse &c. hoc ipso enim pœnitens, nisi expressè aliud dicat, significat, se non tantum dare licentiana, sed etiam velle, ut Confessarius ab illa actione abstineat: qui proinde licetè ab ea sine alia licentia potest abstinere.

II. Debet

II. Debet esse voluntariè & liberè data, unde non sufficit, nec valet, si vi, vel dolo & fraude sit impetrata; imò nec si detur ex meru & quidem etiam reverentiali; qualem Confessarius incatur potest etiam sola sua auctoritate, absque ullis minus aut exasperatione vultus, verborum &c. quia Confessarius quoad suum officium solemus magis quam parentes aliosque superiores revereri. Fagund. l.c. n.21. vel si impetratur per importunas preces; quæ tunc censemur esse tales, quando aliquis mavult rem petitam concedere, quam petentis precibus satigari. Lef. de Justit. l.1. cap. 10. n.14. Unde si pœnitens non ultrò, sed tantum ad petitionem Confessarii det illi licentiam revelandi suum aliquid peccatum, vel agendi cum complice, communiter confiteri debet ex metu reverentiali & invalidè data. Dicast. l.c.n.66. Tamb. de Confess. lib.3. cap.3. n.5. vel certè periculo invaliditatis esse obnoxia. Dian. p.5. tr. II. Ref. 10. Quodsi conjux conjugem, herus famulum &c. habeat male suspectum, jubeatque pro sui purgatione confiteri, & confessario dare licentiam revelandi confessionem, tunc ista quoque licentia censemur ex metu & invalidè data. Coninch. cit. Diff. 9. n.23. Lug. Diff. 23. n.135. & quamvis pœnitentes ejusmodi dicant, se libentissime eam dare, & instantissime rogent, ut Confessarius eā uti velit, tamen iste non potest, nec debet eā uti, quia hoc modo daretur multis occasio sacrilegè confitendi.

198. Potest III. pœnitens licentiam, quam dat, pro suo arbitrio ampliare, limitare, modificare & qualificare, nem-

R. P. Stoß Trib. Penit. Lib. II.

pe utili, qui aliqua ex ipsius confessione cognoverunt, possint vi datae licentiae vel omnia, vel tantum aliqua, & hoc vel illud revelare, cum vel sine hac aut illa circumstantia loci, personæ, temporis &c. unitantum vel pluribus, isque determinatis, vel indeterminatis; ad certum tantum finem & effectum, non ad aliud, ad certum tantum tempus, & non ulterius. Fagund. Prec. 2. lib.6. cap.1. n.18. Palao de pœnit. Diff. un. p.19. §. I. n.9. Lug. cit. Diff. 23. n. 28. & seqq. Neque licet terminos & modos a pœnitente præscriptos exceedere. Ratio, quia tota notitia, quam aliquis ex confessione pœnitentis accepit, est plenè ejusdem potestati & voluntati subjecta, ergo sicut ipse solus potest eam concedere, cui vult; ita etiam potest eo modo concedere, quo vult. Unde etiam,

IV. Potest licentiam, quam semel dedidit, iterum pro suo placito revocare. Palao l.c. §.I. n.3. non tantum si intra confessionem dederit, ut concedit Laym. l.5. tr. 6. cap. 14. n.16. sed etiam si extra: quod Laym. & Gobat. tr. 7. n.833. cum illo negat. Sed hanc eorum negationem tunc tantum admitto, si pœnitens dederit licentiam extra & independenter à confessione, ut bene indicat Reginald. lib.3. n.61. de quo paulò post.

V. Si ex revelatione videtur oriri posse quædam pœnitentis infamia, non potest iste licentiam revelandi dare, nisi ex rati causa, ex qua possit licite se ipsum infamare. Reginald. l.c. n.58. Dicast. l.c. n.77.

VI. Sufficit, silenciam verbotenus, vel alio signo det. Ut autem Confessarius a pœnitente exigat in scripto, non

Q. expē-

P. St. c
Trib. I.
Poenit. E.
S. I. h.

expedit; quia est pœnitenti onerosum, & periculo publicationis expositum. Paulus 1.c.n.10. neque est necessarium ad va-loreum licentiae, ut dixi, aut ad defensio-nem Confessarii; cum in dubio præsu-mendum sit pro ipso tanquam Judice, & in favorem Sacramenti pro ejus inviola-ta reverentia. Fag. 1.c.n.23.

VII. Denique potest pœnitens Con-fessario, & aliis, qui ex confessione ip-sius peccata licet vel illicite audiverunt, prædictam licentiam dare, vel intra vel extra confessionem. Circa quod inter DD. non satis convenient. Si ergo

§. IX.

De Obligatione ejus, cui cum licentia pœnitentis revelatum est, hujus peccatum.

199. Gravis controversia est: An notitia peccati, quam quis ex confessione licet vel illicite accepit; sed cum licentia pœnitentis, intra vel extra confessionem data, alteri communicat, maneat & sit adhuc Sacramentalis; cumque, cui com-municatur, sub sigillo obligetur, vel non? Meo Judicio potest utrumque esse pro-diversa ratione, quâ pœnitens vult facili-tatem concedere. Nam hujusmodi notitia non manet Sacramentalis, nec obli-gat sub sigillo, si pœnitens licentiam in-tra vel extra confessionem det in hunc vel similem sensum: permitto, ut noti-tia, quam ex mea confessione habes, perinde utaris, ac si eam à me extra confessio-nem accepisses. Idem est, si pœnitens con-fessario vel alteri, qui confessionem ipsius audivit, extra illam & independenter ab illa enarrat confessam, sicut solet alias suas

actiones aliis enarrare. Et de hoc non est dubium. Manebit autem notitia Con-fessionis adhuc Sacramentalis, & omnes, quibus eam confessarius vel alius cum li-quentia communicat, obligabit verè sub si-gillo, si pœnitens eam, sive intra, sive ex-tra confessionem, det in hunc vel similem sensum: *Nolo quidem tibi de peccatis, que ex mea confessione audivisti, aliam dare notitiam, permitto tamen, ut illam, quam de his ex confessione habes, possis alicui alteri, huic vel illi communicare.* Et tali modo semper pœnitentes censendi sunt da-re licentiam, & non alio; nisi certò aliud constet. Lugo cit. Diff. 23. n.29. In quo casu satis patet, quod concessio li-quentiae sit tanquam conditio, sine qua non est expeditus notitia Sacramentalis usus; & quod posita hac conditione Confessa-rius v.g. communicet aliis illam ean-dem notitiam, quam ipse ex confessione haberet, & nullam aliam. Debet proinde iis, quibus hujusmodi notitia communi-cat, simul etiam hunc ipsum date sibi licentiae modum & moderationem indi-care, ut illi quoque sciant, se obligari si-gillo, idque obseruent. Dian. p.5. rr.11. Ref. II.

200. Et hanc sententiam tenent om-nes, quotquot dicunt, obligari omnes illos sigillo, ad quos notitia Confessionis immediate vel mediate, licet vel illicite peruenit. Id autem in specie docet Tol-let. lib.3. cap.16. n.6. Fagund. Prec. 2. lib.6. cap.6. n.26. ubi ait, esse Regulam universalem, eamque approbat Dian. p.5. rr.11. Ref.7. & Ref.11. ait, sibi maxi-mè disiplcere sententiam nostram contra-riam, et si eam antea p.2. rr.15. Ref.14. semper judicaverit probabiliorem; Laym-

lib. 5. tr. 6. cap. 14. n. 17. ¶ 18. cum multis, imò plerisque alii apud ipsos, quos sequitur Gobat. *tr. 7. n. 86.* & in Accusat. Canon. *cap. 42. n. 189.* sed iisdem non rectè annumerat Palao; quia iste depenit. *Disp. un. p. 19. §. 4. n. 1.* plus non dicit, quād quōd Regula certissima sit, omnes illos obligari sigillo, qui ex confessione Sacramentali peccata necessariō justē vel injustē cognoverunt; & loquens *ibid. n. 8.* de consiliario, variis rationibus probat, eum, qui tantūm mediātē cum licentia pœnitentis cognovit ejus peccata, non teneri sigillo; quod etiam docuit Henrīq. cum nonnullis aliis apud Dian. *I.c.* Coninch. *Disp. 9. n. 40.* qui ipse quoque, multis in utramque partem allatis, in illorum sententiam valde inclinat; tandem tamen *n. 50.* ait, nostram esse magis receptam, & in praxi communiter observandam. Pro qua meritā etiam citari possunt omnes, qui docent Consiliarium à Confessario cum licentia pœnitentis interrogatum de rebus confessionis, obligari sigillo; quod Suar. apud Lugo *Disp. 23. n. 25.* tradit ut certum, & Lugo ait, esse omnino amplectendum.

201. Rationes varias pro nostra sententia afferri solitas vide apud Coninch. *n. 38.* & Lugo *I.c.* Ego dupliciter probo. Primo. Omnis notitia peccati, que derivatur ex confessione Sacramentali, ab eaque dependeret, est Sacramentalis & obligat sub sigillo; hæc enim est unica ratio, ob quam omnes doceamus etiam illum obligari sigillo, cui confessarius v.g. revelavit sacrilegē, & sine licentia peccatum pœnitentis; atqui etiam illa notitia, quæ per confessarium cum licentia, supradicto posteriore modo data, com-

municata est alteri, derivatur ex confes- sione Sacramentali, ab eaque dependeret ergo.

Negant Adversarii hanc Minorem, & dicunt, pœnitentem hoc ipso, quod dare licentiam v.g. Confessario, dare ipsi aliam novam notitiam non Sacramentalem; & ab hac sola, nullo modo autem à Sacramentali derivari & dependere illam, quæ per confessarium communicata est alteri, adeoque nec esse ullo modo Sacramentalem, nec obligare sub sigillo. Ita illi apud Dian. *cit. Ref. II.* & Coninch. *I.c. n. 45.* ¶ 49. *v. ad quiniam.*

Sed contra. Tum quia pœnitens, ut ponimus, non vult, vel etiam expresse dicit, se non velle per suam licentiam dare Confessario novam notitiam, sed tantum ut illam ipsam, quam ex confessione Sacramentali habet, alteri communiceat. Tum quia dare alicui licentiam utendi notitiā, quam habet, utique non est ipsi aliam dare novam notitiam. Cum enim Magister discipulo, aut æger Medico dat licentiam utendi scientiā, quam habent, nec ille illi, nec iste isti dat aliam novam scientiam; ergo nec pœnitens necessariō per suam licentiam dat Confessario aliam novam peccati confessi notitiam. Tum quia, si pœnitens, dando licentiam revelandi sua peccata, hoc ipso dat Confessario aliam novam de iis notitiā, tunc ista vel etiam est Sacramentalis, vel non? si prius; ergo tunc reddit & urget propositum Argumentum. Si posteriorius; ergo Confessarius jam habet de peccatis confessis duplē notitiā, unam Sacramentalem, & alteram non Sacramentalem; ergo si vi hujus notitiæ non Sacramentalis loquatur invito

Q. 2

pœni-

pœnitente cum aliis quibusvis, non amplius peccabit contra sigillum, sed ad summum tantum contra secretum naturale; sicut aliis, qui peccata, quæ quis ipsi confessus est, etiam aliunde novit; atqui hoc illatum est contra ipsos adversarios, & planè falsum; quia Confessorius peccat contra sigillum, quoties modum licentia à pœnitente datae excedit, ut dictum *sup. n. 198.* Atque ita corruit præcipuum Adversariorum fundamentum. Neque dicas: si pœnitens per se sua peccata alicui enarrat extra confessionem, tunc iste noa obligatur sigillo; ergo nec obligatur, cùm vult ei dici per confessarium. Distinguo enim consequens, & si vult, ut confessarius dicat independenter à confessione, concedo; si vult, sicut potest velle, ut dicat tantum dependenter ab ea, nego. vide Fagund. *cit. lib. 6. cap. 5. n. 20.*

202. Secundum Argumentum est hoc. Ex contraria sententia sequitur, quod licentia, quam pœnitens confessario dat tantum limitate ad revealandum peccatum unius vel alterius, sit illimitata; & limitatio talis sit serè frustranea. Nam ille, cui confessarius cum licentia revelat, non obligatur sigillo, ut volunt adversarii; ergo sine fractione sigilli, & in multis casibus etiam sine violatione secreti naturalis, potest postea de eo cum quovis alio & cum ipso confessario; iste autem tūm rursus cum aliis atque aliis etiam invito pœnitente agere: quid ergo jam prodest licentia limitatio? atqui hanc adeo esse inutilem, est contra communem; *sup. n. 19.*

Quod Adversarii dicunt, obligationem sigilli esse annexam tantum illi peccatorum narrationi, quæ est necessaria ad in-

tegram eorum confessionem & directam absolutionem, gratis dicunt, & jam *sup. n. 185.* refutatum est circa finem.

203. Meritò ergo Fag. *I. c. cap. 6. n. 26.* cum aliis DD. habet pro universalis & certa regula, quod omnis notitia, quæ ex confessione Sacramentali immediate, vel mediata, tam licite, quam illicite comparata est, maneat, & manere debet sub sigillo Sacramentali. Limitat quidem hanc regulam, & nostram sententiam Laym. *cit. cap. 14. n. 18.* nisi licentia data sit ex causa aliqua justa vel iusta ad *Confessionem nihil pertinente*, v.g. ad captandam tantum alterius gratiam. Sed non placet; quia etiam in ordine ad talem finem potest pœnitens velle, ut Confessorius adhuc loquatur tantum dependenter à confessione. Multò minus autem probatur, quod Gobat *tr. 7. n. 833.* dicas, nec ipsum confessarium, nec alios, qui ab ipso percipiunt, obligari sigillo, cùm pœnitens de peccatis confessis ei *extra confessionem* loquitur, nisi id faciat in ordine ad aliam confessionem. Nam pœnitens, si vult, potest de eadem confessione, quam antè fecit, loqui cum Confessario etiam extra eam *manente adhuc sigillo*; quia sèpè nec pœnitentes, nec confessarii possunt satis intra confessionem pertractare confessa; magnum autem foret onus, si deinde pœnitentes deberent iterum novam confessionem instituere, vel hoc ipso obligationem sigilli tollere. Idque satis clare docet Lug. *Diss. 23. n. 133.* quem ipsum locum allegat quidem Gobat pro se; sed non bene, ut paret ex toto contextu, ubi Lugo dicit, pœnitentem posse extra confessionem non solum de peccatis confessionis loqui, sed etiam

etiam dare licentiam, ut manente sigillo Confessarius possit de iisdem loqui; item pœnitentem non dare extra confessionem ei aliam notitiam, sed tantum licentiam utendi notitiâ confessionis &c.

204. Ex dictis hactenus de sigillo Confessionis potest jam haec, suprà promissa, plenior ejus concinnari descriptio, & dici, sigillum est obligatio Jure naturali & positivo, tam divino quam humano introducta, vi cuius aliquis debet omnia, quæ non nisi ex confessione Sacramentali immediate, vel etiam mediata tantum, tam licetè, quam illicetè cognovit, & in aliud quod pœnitentis gravamen cedere possunt, ita indispesabiliter recta & velata servare, ut de iis nec extra confessionem cum ipso pœnitente, nec cum ullo alio unquam etiam post mortem ejus sine expressa ejus licentia sit licitum in ullo excogitabili casu directè vel indirectè manifestando agere.

Ut ergo aliquis censeatur violare Sigillum Confessionis, debet revelare I. aliquid, quod cadit sub sigillum; II. ipsam quoque personam pœnitentis vel complicitis; III. sine licentia legitima, & IV. id eo modo, quo ex sola confessione Sacramentali cognitum habet. Tan. cit. q. 9.

n. 125.
Neque difficile jam est, ex principiis alatis varias particularium casuum Resolutiones deducere. Sed quia, quod meritò dolendum in re tanti momenti, cui etiam salus totius Mundi posthabenda forer, tanta est Doctorum inter se dissensio, opera pretium videtur, ut prius, quam ultrius progrediamur, discutiatur hic consideratione digna Quæstio.

SECTIO IV.

De Delectu sententiarum circa Obligationem Sigilli.

Resolvenda sunt hîc aliquam multa dubia, & 1. quidem an ex duabus probabilitibus semper tenenda sit ea, quæ est sigillo favorabilis. 2. quæ oriuntur de Confessione obligante ad sigillum; uti & 3. circa Materiam sigilli. 4. de indirecta violatione Sigilli.

§. I.

An ex duabus probabilitibus semper tenenda sit favorabilis sigillo?

205. Est hæc Quæstio: Quænam ex duabus sententiis, quarum una affirmat, altera negat in hoc vel illo casu violari sigillum, sit in praxi tenenda & amplectenda, quando utraque ab Auctoribus traditur, & admittitur esse probabilis? Resp. in praxi omnino semper esse Affirmativæ inhærendum. Atque ita etiam sentit Dian. in proœm. p. 5. tr. II. et si in aliis matteriis semper sit magnus benigniorum sententiarum patronus. Rationes meæ sunt seqq.

I. Quia qui contra alios negant, aliquid esse contra sigillum confessionis, tentur tamen id communiter esse contra Secretum medium, vel saltē contra Secretum naturale; atqui Secretum medium non differt quoad obligationem à sigillo Confessionis, ut sup. n. 183. ostendi, ergo qui concedit aliquid esse contra illud, concedit re ipsa esse etiam contra istud, & tantum nomine tenus negat.

Q. 3

Sed